

Universitätsbibliothek Wuppertal

**PLVTARCHI||CHAERONENSIS,|| SVMMI PHILOSOPHI|| &
Historici,|| VITAE PARALLELAE,|| seu Comparatæ,||**

Cui subiecti sunt Indices tres ... ad commodum lectoris summa diligentia
confecti

Plutarchus

Francoforti ad Mœnum, 1592

Otho

Nutzungsrichtlinien Das dem PDF-Dokument zugrunde liegende Digitalisat kann unter Beachtung des Lizenz-/Rechtehinweises genutzt werden. Informationen zum Lizenz-/Rechtehinweis finden Sie in der Titelaufnahme unter dem untenstehenden URN.

Bei Nutzung des Digitalisats bitten wir um eine vollständige Quellenangabe, inklusive Nennung der Universitätsbibliothek Wuppertal als Quelle sowie einer Angabe des URN.

[urn:nbn:de:hbz:468-1-360](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:468-1-360)

17 A Marco quodam.] μάκκας.reponendum μάκκας. Est aut Murcus Statie gentis cognomen: ut in L. Statio Mar-
co euident est, de quo præter alios Dio lib. 47. & quadrage-
simooctauo, & apud Cornelium hic expressum est etiam,
Seruij nomen.

18 Patrobij seruis.] Additur in Græco, & Vitellij, nullo
nisi absurdo sensu. nihil enim hic Vitellio rei. Itaq; aut alte-
rius liberti Neroniani nomen pro Vitelliano reponendū erit, 10
aut totū emittendum, quod malo. Nā & Tacitus & Suetonius
solius Patrobij meminerunt: nisi quod hic precio redem-
ptum à calonijs tradens, à nostro variat autore.

PLVTARCHI OTHO, GVILIELMO XT- 15
landro, Augustano, interprete.

Orthonis
clemētia.

PRIMA luce nouus Imperator in Capitolium progres-
sus, rem sacram fecit. Iussit deinde ad se adduci Mariū
Celsū, eumq; salutauit, & comiter collocutus, hor- 20
tatus est, ut magis causæ, ob quam in vincula esset conditus,
obliuisci, quam dimissionis meminisse vellet. responsum est
à Celfo neq; parum ingenue, neq; imprudenter, Ipsam cul-
pam ingenij sui esse documētum: obliuisci proinde se fidei,
quam Galbæ nullo ipsius merito seruasset. Admirati vtrun- 25
que præsentēs sunt, & collaudauit exercitus. In senatu Otho
multa benigne populariterq; locutus, consulatus sibi desti-
nati partem Virginio Rufo assignauit: honores eorū, quos
consules Nero aut Galba designauerant, ratos habuit: sa-
cerdotiis eos qui ætate aut gloria reliquis anteirent, orna- 30
uit: quos sub Nerone in exilium profectos Galba restitue-
rat, iis omnia bona, quæcunq; nō diuendita reperisset, red-
didit. Quo factum est, ut ciuium primi atq; præstantissimi,
qui prius exhortuerant, nō hominem rati, sed pœnam quā-
dam aut impurum genium reip. incidisse, in meliorem tum 35
spem venerint, imperio lætum quasi vultum quendam o-
stendente. Interim Romanos vniuersos nihil tanta affe-
cit læticia, quam sumptum de Tigellino su pplicium. Ille
quidem iam pridem ipso pœnæ metu pœnas luebat, quas
tanquam publicum debitum exposcebat ciuitas: tum sce-
leratas

Tigellini
exilio.

leratas eius & infandas inter scorta & impuras mulieres vo-
 lutationes, quas moribundi hominis libido etiamnum af-
 festabat, vel pro extremo supplicio, multisq; mortibus pa-
 ri interpretabantur homines cordati. Nihilominus vulgo
 5 indigne ferebant, frui adhuc conspectu solis eum, propter
 quem tot tantiq; viri eius conspectu essent priuari. Misiti-
 gitur qui eum trucidaret Otho in Sinuessanū agrum: nam
 ibi commorabatur, nauibus in portu stantibus, ac de vlte-
 riore fuga cogitabat. primū multo oblato auro tentauit
 10 percussorem: sed cū frustra id esset, nihilominus ei dono
 dedit, orauitq; vt tantisper operiretur, dum ipse sibi men-
 tum raderet: eoq; impetrato, fauces ipse sibi præcidit. Hac
 Cæsar iustissima voluptate oblata populo, ipse priuatarum
 iniuriarum causa neminem quēquam offendit. In gratiam *Neronis*
 15 quoq; multitudinis Neronis cognomentum, quod ei pri-
 mū in theatris tribuebatur, non repudiavit: & cum à nō-
 nullis statuae Neronis in publicum reponerentur, non pro-
 hibuit. Claudius Rufus autor est, allata in Hispaniam esse
 diplomata per tabellarios, in quibus Othonis nomini diuū
 20 Neronis nomen fuerit adscriptum. Tamen cum offendi ea
 re animos optimatum sentiret, desit. Hunc in modum cō-
 stituto Imperio, mercenarij milites difficiles sese præbue-
 runt, hortātes Othonem, ne principibus in se. viris crede-
 ret, sed ab iis sibi caueret, & eorum consiliis obstarer: siue o-
 25 mnino beneuolentia Imperatoris adducti ab iis ei metue-
 bant, siue hinc mouendarum turbarum & bellorum mate-
 riam quærebant. Missus ab Othone ad decimamseptimam
 cohortem Crispinus, vt milites quosdam adduceret. is cum
 noctu se pararet, armaq; vehiculis imponderet, ferocissimus
 30 quisq; militū vociferari cœpit, Nihil boni molientē adesse
 Crispinū, senatum res nouas agitare, arma cōtra Cæsarem,
 non pro Cæsare in urbem aduehi. eo rumore oēs attingente
 atq; irritante, alij currus inhibuerunt, alij centuriones duos
 & ipsum Crispinum prohibentes vim occiderunt, omnesq;
 35 illico armis sumptis, & sese muruo ad ferendam Cæsari o-
 pem cohortati, Romam contenderunt. Ibi cum audirent
 cum Cæsare LXXX. senatores cœnare, tempus sibi obla-
 tum vociferantes omnes simul inimicos Cæsaris trucidan-
 di, ad Palatium se proripuerunt. Vrbs verò in præsentem
 direptionis metum coniecta, turbarum erat plena. Otho

animi anxius & metuebat senatoribus, & ab ipsis metuebat-
 tur, cernens eos ab ipsius nutu dependere mutos confterna-
 tosque: quidam etiam cum vxoribus ad cœnam venerāt. Mit-
 tit ergo præfectos qui milites alloquerentur ac sedarent: si-
 mulque conuiuas excitos per aliud ostium dimittit. pauloque
 ante iij effugerunt, quam milites perruptis stipatorum cu-
 stodiis in cœnaculum venerunt, quærentes quonā inimici
 Cæsaris euasissent. Cum quidem Orho reclusus in lecto stans,
 multis verbis, multis precibus, ac ne lacrymis quidem sup-
 pressis ægre tandem obtinuit, vt in castra redirent. Postri-
 die singulos quinis nūmū millibus donauit: & ingressus
 in castra, multitudinē beneuolentiæ erga se & promptitu-
 dinis ergo collaudauit: paucos aut quosdam occulte in ca-
 stris mala consilia miscere: suamque moderationē animi, &
 militum constantiā ab iis calumniis obici questus, orauit, 15
 vt in iis puniendis sibi adessent. laudatibus omnibus & pu-
 nire fontes iubentibus; in duos tantum, quorum supplicio
 neminē offensum iri intelligeret, animaduertit, atque ita di-
 gressus est. Quidā diligentes iam Orhonē, ei que fidētes, cum
 in hæc intuerentur, ita immuratum hominē mirabantur: 20
 alij necessitate cōpulsum eum ista agere sentiebant, tempo-
 ri inservientem, fauoremque multitudinis propter impendē-
 tia bella caprantem. Iam enim annunciabatur Vitellium
 nomen copiasque Imperatorias assumpsisse, atque identidem
 prætophori (tabellariorum celerum id nomen est) aduenta- 25
 bant, aliquid illi accessisse referentes. Alij Pannoniæ, Dal-
 maticę, Mysicęque exercitus ducesque Imperatorem Orhonem
 pronunciaisse indicabāt: & amicæ à Muciano Vespasianoque
 afferebantur literæ, quorū alter in Syria, alter in Iudæa ma-
 gnum exercitū regebat. His animatus, Vitelliū per epistolā 30
 hortatus esset, ne summā imperij affectaret, sed sua sorte
 contentus esset: simul se ei magnam pecuniam daturū promit-
 tens, & urbem, in qua ociosus suauissimam ageret vitam.
 Referibens Vitellius, initio latenter eum subsannauit: post
 iritatis animis, multa mutua per literas conuicia lasciuie 35
 impudiceque fecerunt: non quidem vana obicientes, stulte
 tamen, adeoque ridicule alter alteri ea exprobrantes,
 quæ difficile iudicatu est vtri eorum minora affuerint, lu-
 xuriam scilicet, molliciem, belli imperitiam, pristinaque
 paupertatis & æris alieni molem. Multa eo tempore prodi-
 gia,

Prodigia.

gia, pleraque, tumore & autore incerto referebantur. In Capitolio quidem Victoriæ bigis insistentem habenas manu dimisisse, veluti retinere non valentem, omnes viderunt. In Tiberina insula C. Iulij Cæsaris statua nullo vel terræ
 5 motu vel vento impulsâ ab occidua parte ad ortum solis se conuertit. quod iis evenisse diebus ferunt, quibus Vespasianus palam sibi summam rerum vindicare est aggressus. Tiberis autem exundationem plerique in ostentum infelix raperunt, eo quidem factam tempore, quo maxime turgent
 10 fluvij: sed nunquam ita excreuerat, neque vlla vnquam eluvione tantum damni dederat. nam cum magnam vrbis partem proluit, tum eum præsertim locum, vbi frumentum venale reponebatur, opplevit, magnamque permultorum dierum difficultatem effecit. Cum renunciaretur, Alpes iam à
 15 Cæcinna & Valente Vitellij legatis occupatas esse, Romæ Dolabella vir patricius militibus in suspicionem tentatarum novarum rerum venit: quem Otho siue eius, siue alterius metu, Aquinum seposuit. Deligens autem de principibus viris, qui secum comites irent, inter hos L. quoque Vitellium,
 20 hostis sui fratrem, esse voluit, neque augmentum honore, neque eo, quem tum gerebat, spoliatum. matri quoque & vxori Vitellij accurate prospexit. Vrbi præfecit Flavius Sabinus, Vespasiani fratrem: siue Neronis id honori tribuens, qui Sabinum ea dignatione affecerat, post à Galba ei adempta: siue ornando Sabino studium suum fidemque Vespasiano demon-
 25 strans. Et Otho quidem ipse Brixelli, quod est Italiæ ad Padum flumen oppidum, substitit: duces copiarum emisit Marius Celsus, Suetonium Paulinus, Gallus, & Spurinam, viros illustres, sed qui rem suo arbitrio gerere nequirent ob
 30 militum contumaciam atque ferociam, nemini præter vnum Imperatorem obtemperare dignantium. Idem malum hostiles quoque exercitus tenebat. Verum hi periti pugnarum erant, laboremque ob consuetudinem non fugiebant. Othoniani molles erant, in ocio & pace educati, & plurimum
 35 temporis in theatris ac conuentibus festiuis versati, super-
 boque inflati fastu, ministeria detrectabant, non ut ad ferendum impares, sed tanquam se indigna. Spurinam cogere tantem parum absuit quin interficerent: nullo quidem contumeliæ in eum genere & petulantia abstinerunt, prodito-
 rem, Cæsarisque rerum ac temporum pestem vocantes: quidam

*Bellum Vi-
tellianum*

*Petulantiæ
militum.*

etiam noctu ebrj ad tentorium eius aduerunt, viaticumq;
 poposcerunt, eundem sibi eius accusandi gratia ad Casarē
 dicentes. Rebus Othonis & Spurinæ profuit exprobratio
 militum Vitellianorum, à quib. Placētia obfidebantur. Vi-
 telliani enim muros aggredientes, Othonianos propugna-
 culis adstantes subsannabant, scenicos eos, & saltatores, &
 Pythiorum Olympiorumq; spectatores ignominiose vocitan-
 tes, ac qui bellum pugnaq; nunquam ne vidissent quidē
 eo tantum superbientes, quod inermis senis (Galbam nota-
 bant) caput amputassent, ad certamen apertū descendere, 10
 cumq; viris dimicare nunquam ausi. His conuiciis Othoni-
 ani ita perturbati inflāmati; sunt, vt ad Spurinam suppli-
 cum modo venerint, nullumq; selaborem, nullum pericu-
 lum subterfugere professi sint, duceret modo ipsos, & impe-
 raret. Acriter Vitellianis mœnia oppugnantib. multasque 15
 machinas adhibentib. vicere tamē milites Spurinæ: hosteq;
 magna cum cæde profligato, florentissimam Italiæ urbem
 seruarunt. Erant alioqui Othonis milites alteris multo gra-
 tiores, & publice priuatimq; acceptiores. Dux erat Vitelli-
 anorum Cæcina, ne habitu quidem popularis, sed molestus 20
 peregrino apparatu, vir magna corporis mole, qui braccas
 & manicas indutus Gallico modo legiones alloquebatur:
 vxorem eius equo vehentem, splendideq; ornata, delecti
 equites comitabantur. Eius collega Fabius Valens tanta la-
 borabat auaricia, vt neq; rapinis hostilib. neq; depeculatio- 25
 ne & donis à sociis accipiendis expleri posset: quin etiā pu-
 gnæ tempus neglexisse fertur, pecuniæ corradenda causa
 lentius proficiscens. alij tamen Cæcinæ eam culpam impu-
 tant, qui festinans ante aduentum Fabij potiri victoria cum
 alia leuiora peccata admiserit, tum illo prælio neq; tempe 30
 stitue neq; strenue facto, prope rem Vitellianam pessundede-
 rit. Cum enim repulsus à Placentia Cremonā, urbem ipsam
 quoq; magnam & opulentam, peteret: primum Annius Gal-
 lus, qui ad ferendas Spurinæ suppetias Placentiam ducebat,
 audita in itinere victoria collegæ, & Cremonæ cognito pe- 35
 riculo, eo traduxit exercitum, & prope hostem confedit: e-
 odemq; deinde cæteri etiam Othoniani duces peruenerūt.
 Locis syluestribus Cæcina multos milites abdidit, equitib.
 permisis, qui hostibus manum conferentibus docti erant
 paulatim retrocedere, & subterfugere tantisper, dum eos
 in infi-

*Cæcina in-
solentia.*

in insidias pettraherent. Id cum ex transfugis comperisset Celsus, cum bonis equitibus obuiam factus Cæcinæ equites prostravit: cauteq; insecutus, eos qui insidiis latebant circumuenit, iisque perturbatis peditatû castris exciuit. Quod si is mature equites subsecutus præsto fuisset, ea die potuisset Cæcinæ milites occisione cædi creditum est. nunc Paulinus sero & lente succurrens, dum nimium cautus est, non conuenienter existimationi suæ rem gessisse culpatus est. Et multi militum prodicionis eum insimulabant. Otho nemq; irritabant, iactantes se victoria potitos, sed ducum malicia ne ea obtineretur effectum. Otho non tam credens hoc, quam non credere se dissimulans, Titianum fratrem suum ad exercitus misit, & Proculum præfectum, penes quæ erat summa rerum, Titiano titulum gerente: comitabatur vna Celsus & Paulinus, amicorum & consiliariorum nomine, nulla potestate præditi. Apud hostes quoque tumultus erat. Maxime autem ut relatum est de pugna apud insidias commissa, Valenti succensebatur, eiusq; militibus, quod non subsidio suis venissent, totque homines perire passi essent. & Valens ægre exoratis militibus, iam eum saxis petere aggredientibus, castra mouit, & cum Cæcinnâ coniunxit. Otho Bebricum in castra venit, quod est propinquum Cremonæ oppidulum. Ibi proposita de prælio deliberatione, Proculus & Titianus decerrandum censuerunt, exercitibus ad hoc alacribus, & recenti victoria: neque copiarum vigorem desidendo hebetandum, expectandumve dum ex Gallia ipse veniret Vitellius. Contrâ Paulinus, hostibus ea omnia in promptu esse, quibus freti pugnam sint commissuri, deesse nihil. Othoni haud pauciores præsentibus copias ex Mysia & Pannonia expectandas, modo suo, non hostiû temporis intentus esse velit. neq; vero minus ad pugnandum alacritatis habituros pluribus accedentibus eos, qui nunc minoribus viribus fidant: imo tanto acriores fore, & ex abundanti certaturos. iam cunctationem ipsis commodam, omnium rerum copia affluentibus: Vitellianis in hostico morantibus tempus penuriam necessariorum rerum allaturum. Huic suffragatus est Marius Celsus. Et Annius Gallus absens (ab equo enim delapsus curabatur) per literas ab Othone sententiam rogatus, non festinandum, sed expectandas à Mysia copias celsuit, quæ iam essent in itinere. Vi-

Deliberatio de pugna.

cit ta-

cit tamen eorum sententia , qui ad pugnam hortabantur.
 Causæ eius rei multæ à multis referuntur. Palam autem præ-
 toriani milites tunc semel seriam experti militiam , deside-
 rio vitæ quam in vrbe extra bellum in ocio & festiuitatibus
 egerant , contineri nullo modo quibant , pugnam acce-
 lerantes , & primo impetu à se sublimes abripi hostes posse
 sibi persuadentes. Ipse etiam Otho videtur incertitudinem
 euentus non sustinere amplius expectando potuisse , in solé-
 tia & mollicie victus , quoties magnitudinē periculi secum
 perpenderet : itaque oneri cogitationum succumbens , velu-
 ti de præcipitio quodā clausis oculis , ita se & res in discrimē
 euentus misit. atque ita narrabat Secundus rhetor , qui ei fuit
 ab epistolis. Non desuere , qui affirmarent , vtrinque exerciti-
 bus sæpe incidisse cogitationem in vnum conueniendi ,
 ac de communi sententia , ex ducib. Romanis , qui tum ma-
 xime gloria florent , optimo imperium deferendi : sin id
 non succederet , senatu conuocato , ei potestatem deligendi
 Imperatoris cōmittēdi. Neque profecto vero ab simile est , cū
 vterque designatorum Imperatorum infamia laboraret , ve-
 ris , & exercitatis , sanaque mente præditis militib. huiusmo-
 di cogitationes ad animum accidisse. Indignam rem esse ac
 turpissimam , ea quæ olim ciues propter Syllam & Marium ,
 tum Cæsarem ac Pompeium inuicem se passos doluerint :
 nunc ea tolerare , vt vel Vitellio gulæ ebrietatisque , vel Otho-
 ni luxuriæ prodigalitatique sumptibus futurum Imperium
 pararent. Hæc illos sentire animaduertsum Celso : itaque eum
 mora iniecta sperasse absque pugna posse rem confici : co-
 rundemque metu Othonem prælium accelerasse. Abiit ergo
 rursus Brixellum Otho : inque eo grauiter peccauit. non tan-
 tum quia se , cuius verecundia & studio plurimum moue-
 bantur , totique ab eo dependebant , ipsis subtraxit : sed &
 quod fortissimum quenque & strenuissimum equitum pedi-
 tumque stipandi corporis causa secum abducens , veluti cor-
 pus quoddam exercitus abstulit. Iisdem dieb. apud Padum
 pugnatum est. Traiectum moliebatur Cæcinnæ , potēque
 eius rei gratia stuebat. Othoniani in eo prohibendo labo-
 rabant , cumque rescindere opus hostium non possent , faces
 pice & sulfure plenas in id iaculabantur. Sed ventus traie-
 ctui incumbens , materiam præparatam accendit. & fumus
 primum , mox flamma erumpens , à vento in Othonianos
 effla-

est lata, ita vt perturbati & proficientes in amnem & naues
 subuerterint, & corpora cum risu hostib. obiecerint. ac Ger
 mani apud insulam, quæ in flumine modica est gladiatores
 Othonis adorti, multos eorum interfecerunt His ita actis,
 5 cum Bebriaci morantes Othonis milites irati pugnam pos
 cerent, produxit eos Bebriaco Proculus ad l. stadia, & ca
 stra posuit adeo imperite, vt quanquam verno tempore an
 ni, & tot circum amnibus penuria tamen aquæ fatigaren
 tur. Postridie volentem in hostes, (à quibus haud minus c.
 10 stadiis aberant) ducere, Paulinus prohibebat, operiendum
 affirmans, neque defatigandum exercitum, statimve ex iti
 nere pugnam committendum cum hominibus qui, dum i
 psi tantum iter cum iumentis suis ac calonibus perficerent,
 interim, per ocium arma aptare, & aciem instruere possent.
 15 Disputantibus adhuc ducibus eques Numida interuenit,
 literas ab Othone adferens, quib. iubebat suos omni sub
 lata mora in hostem pergere. Cæcinna hostium aduentu
 cognito perturbatus, subito & operibus & fluuio relicto
 in castra se recipit. Plerisque militum iam armatis, & tesse
 20 ram à Valente doctis, dum in ordinem legiones compone
 rentur, equitum optimorum turma præmittitur in hostem.
 Duces Othonianorum incertum qua occasione in eam ve
 nerant opinionem, fore vt Vitelliani duces ad ipsos transi
 rent: itaq; eos, cum inuicem appropinquassent agmina, a
 25 mice salutarunt, cõmilitonesq; appellarunt. quam salutati
 onem cum Vitelliani non benigne, sed hostili murmure ac
 cepissent, salutatores quidem cõternati sunt, cæteri autem
 prodicionis eos suspectos habuere. Id primum Othonianos
 perturbauit, iam præsentem hoste. Sed & reliquorũ nihil suo
 30 ordine gestũ: cum & impedimenta pugnantibus permista
 multum confusionis parerent, & ipsa loci natura aciem di
 uelleret, fossis ac sulcis referti, à quib. sibi metuentes, coacti
 sunt promiscue & cateruatim cum hostib. congregari. Duæ
 tantum legiones, Vitelliana nomine Rapax, & Othoniana
 35 nomine Adiutrix, aperto in campo iusta pugna diu decer
 tauerunt. Erant autem Othoniani robusti quidem & ani
 mosi, cæterum belli rudes, neque in aciem ante ueniant, &
 ductæ. Vitelliani multis proeliis aduersati, senes iã erant, &
 languescere robore. Itaq; impetu facto Othonianos eos pu
 lerunt, aquilamq; eripuerunt, omnibus prope qui in prima
 acie sta-

acie stabant trucidatis: At Vitelliani simul pudore, simul ira conciti, in hostem irruerunt: & legato Orphidio necato, multis signis potiti sunt. Gladiatoribus qui & peritiam & audaciam secum ad pugnam adferre videbantur, Batavos induxit Alphenus Varus, equitum Germanorum optimos, 5 in insula natos, quam Rhenus circumfluit. hos pauci gladiatorum substiterunt, plerique ad flumen fugientes, in cohortes hostium instructas ibi inciderunt, ab iisq; defendentes sese, vniuersi occisi sunt. Turpissime omnium se gesserunt prætoriani milites, ne dum ad manus quidem peruenirentur subsistere ausi, sed fuga per nondum superatos se propientes, eos quoque metu & perturbatione impleuerunt. Multi tamen Othonianorum sibi oppositis superatis, per hostes iam victores in castra perruperunt. De ducib. neque Proculus neq; Suetonijs castra intrare ausi: sed declinauerunt ea, metu militum iam tum cladis culpam in ductores cōferentium. Annij Gallus eos qui in urbem ex pugna cōueniebant collegit, animosq; eorum confirmabat, incerta victoria discessum, & multis partibus superatos hostes asserens. Marius Celsus primariis viris conuocatis, deliberare 20 eos in commune iussit: quippe tanta accepta clade, torque interemptis ciuib. ne Othonem quidem ipsum, si quidem vir bonus sit, vltra fortunam experiri cogitaturum. quando Scipio etiam & Cato, quod Cæsari Pharsalico prælio victori concedere noluisent, male audierint, 25 vt qui nulla necessitate adaacti multos bonosq; viros in Africa perdidissent: tamen si pro libertate patriæ decertarint: fortunam quidem, cum anceps sit, tantum tamen in bonos non posse. vt rebus aduersis bene de euentis consultandi facultatem eis eripiat. Hanc eius orationē probauerunt principes: & cum tentatis militum animis, pacem eos viderent desiderare, Titianusq; de concordia ineunda legatos mittendos censeret, placuit vt Celsus & Gallus irent, ac de ea re cum Cæcinnæ & Valente colloquerentur. Proficiscentibus ipsis centuriones Vitelliani obuiam facti sunt, castra suorum iam versus Bebbiacum mota renunciantes, se autem pacificationis causâ missos à ducibus. quos collaudatos Celsus se cum reuerti, & ad Cæcinnam adire iussit. Cum appropinquassent Vitellianis, in graue periculum Celsus venit: nam equites ab eo ante apud insidias superati cum promissierant,

rant, ipsoque conspecto statim clamorem sustulerunt, impetumque in eum fecerunt: centuriones ante Celsum consistentes, eos arcuerunt: & reliquis etiam ductoribus sublato clamore parcere eos iubentibus. Cæcinnâ recognita celeriter accurrit, tumultumque equitum compescuit, salutatumque amice Celsum secum ad Bebriacum adduxit. Interim factum mutauit Titianus, militesque quos inueniebat ferocientes rursus in muros sustulit, reliquis ut auxilium ferrent iussis. Sed cum Cæcina equo aduectus dextram protēdisset, nemo Titianum curauit, alij de muris Vitellianos saluta-
 10 lauerunt, alij apertis portis egressi suos adierunt: ab omni temperatum est maleficio, blande mutuo accepti, vniuersi in nomen Vitellij iurarunt. Hoc modo pugnam factam plerique eorum perhibent, qui interfuerunt: ipsi quoque fatentes propter confusionem & inæqualitatem non satis sibi de
 15 omnibus constare. Mihi autem Mestrius Florus vir consularis per eum campum, ubi pugnatum est, iter facienti, senem quendam ostendit, qui cum adolefcens cum Othone non sua voluntate, sed coactus fuerat: referentem se post prælum eo accedentem vidisse tantum cadauerum cumulum,
 20 ut qui in superficie iacerent, aduersarios attingerent. seque causam eius rei quærentem, neque ipsum inuenire, neque ex alio quoquam cognoscere potuisse. Sane apparet bellis ciuilibus plures in pugna necari, quam alias: eo quod nemo viuus capitur, cum eiusmodi mancipiorum nullus sit vsus.
 25 istius tamen cadauerum congeriei causa difficulter colligi potest. ad Othonem obscurus primum cladis nuncius est allatus: deinde & faucij à prælio quidam venerunt. Hic minus miretur aliquis amicos eius, animum despondere prohibentes, verbisque confirmantes. Militum incredibilis fuit fides nemo eorum neque discessit, neque ad victorem se contulit, neque visus est rebus imperatoris desperatis de suo sollicitus: omnes ad fores eius se contulerunt, imperatorem salutarunt, magna cum voce & sum-
 30 mis precibus contenderunt, supplices etiam & lacrymantes, ne deserere ipsos, aut prodere hostibus vellent, sed uti, dum animi adhuc corporaque ipsorum spirarent. quin & vnus de obscurioribus gladium intendens, Scias, inquit, Cæsar, hoc modo omnes pro te paratos. itaque locutus, seipsum eo transadegit. Nihil horum Othonem inflexit: sed sereno
 constan-

constantique vultu oculos per omnes partes circumfe-
 ,,rens: Hunc, inquit, ô commilitones, diem, feliciorē illa
 ,,qua me Imperatorem creauistis, iudico, tales vos cernens,
 ,,tantarumque rerum appetentes. Sed nolite me maiori bo-
 ,,no spoliare, quod morte pro tot tamque bonis ciuibus op-
 ,,petenda præclare sum consecutus. Nam si dignus impe-
 ,,rio Romano fui, oportet me vitam meam patriæ impende-
 ,,re. Neque me præterit victoriam hostibus neque firmam
 ,,esse, neque constantem: refertur exercitum ad nos ex Mœ-
 ,,sia venientem iam mare Adriaticum conscendisse, ac pau-
 ,,corum à nobis dierum itinere abesse: à nostra parte Asia
 ,,est, & Syria & Aegyptus, & contra Iudæos bellum gerentes
 ,,copiæ: liberi & coniuges hostium in manu nostra sunt. Sed
 ,,enim non contra Annibalem, aut Pyrrhum, aut Cimbros
 ,,bellum pro Italia, sed contrā gerimus: & vtrinque seu vin-
 ,,centes, seu victi patriam iniuria afficimus, cui damno est vi-
 ,,ctoris bonum. Pro certo habete, mori mihi esse honesti-
 ,,us, quam imperare, neque enim tantum Romanis prodero
 ,,victoriam obtinens: quantum si me ipsum patriæ impen-
 ,,dam, morteque mea pacem ei & concordiam redimens ef-
 ,,ficiam ne rursus talem diem Italia videat. Hæc locutus re-
 ,,iecit is qui ob stare & dehortari intenderent, discedere a-
 ,,micos iussit, & quotquot aderant senatorij ordinis, & ab-
 ,,sentes quoque & per literas ad ciuitates missas eos com-
 ,,mendauit, quo tutius & honestius domum redirent. Fra-
 ,,tris deinde filium Cocceianum, adolescentem etiamnum,
 ,,ad se vocauit, bonoque esse animo iussit: neque sibi à Vi-
 ,,tello metuere, cuius ipse matrem, liberos vxoremque tan-
 ,,quam suos incolumes præstitisset. ideo autem, aiebat, te
 ,,nondum adoptauit: sed id in eum finem distuli, vt recorde-
 ,,ris Cæsarem adoptionem non probasse, vt eo victore colle-
 ,,ga imperij esses, neque, si quid ei aduersi accidisset, prior
 ,,perires: id modo extremum tibi præceptum scias, ne pa-
 ,,truum tibi Cæsarem fuisse aut obliuiscare vnquam, aut
 ,,nimiam memineris. His peractis, paulo post tumultum &
 ,,vociferationem apud fores exaudiuit. nam milites senato-
 ,,ribus abire parantibus necem minabantur, si destituere
 ,,imperatorem pergerent neque manerent. Quibus metu-
 ,,ens Ortho, rursus conspiciendum se præbuit, progressus-
 ,,que milites non iam orans, sed truci vultu in tumultuantes
 præsertim

- præsertim intuens, aspera que voce discedere iussit, obtemperantes, & perterritos. Vesperscente die sitim aquæ hau-
 stu modico restinxit. Duos habebat pugiones : horum v-
 trumque cum diu pertentasset, altero reddito, alterum sub
 5 axilla tenuit. Famulis deinde vocatis, ac familiariter com-
 pellatis, pecuniam distribuit, plus vni, alteri minus, neque
 id quod tanquam alieno parceret, sed vt pro merito vni-
 cuique daretur sollicitus. His dimissis reliquum noctis som-
 no exegit, ita vt cubicularij quoque stertentem exaudi-
 10 rent. Primo mane vocato liberto, cui mandauerat negoti-
 um senatorum expediendorum, percontatus est, vt res ha-
 berent : auditoque singulis quantum opus esset obtigisse,
 Abi iam nunc, inquit, teq; militibus ostende, ne te meæ ne-
 15 cis adiutorem illi putantes mala morte afficiant. Eo digres-
 so in gladium erectum, ac vtraque manu suffultum incu-
 buit: semelque tantum ad dolorem vulneris ingemuit. Quæ
 gemitum cum qui extra cubiculum erant exaudiuissent,
 sublatò à pueris eiulatu, illico tota castra & urbem luctus
 peruasit: militesque cum clamore & lamentatione ad fores
 20 accurrerunt, grauiissimo dolore percussî, sibi que ipsis ma-
 ledicentes, qui non custodiissent imperatorem, ac pro i-
 psis mori prohibuissent. Nemo omnino eorum ad hostes,
 quanquam in proximo ij essent, defecit. Composito cada-
 uere, & extructo rogo armati funus extulerunt, gloriæque
 25 sibi ducebant qui feretro subire occupassent : ceteri pars
 vulnus Imperatoris deosculati sunt in cadauer incumben-
 tes, pars manus attigerunt, pars eminus adorauerunt, non-
 nulli facibus in rogam coniectis seipsos iugulauerunt. Et
 30 neque erat, cur graue aliquod malum à victore expecta-
 rent, sed videtur nulli vnquam tyranno tam acer atque in-
 sanus imperandi amor innatus fuisse, quantum illi obtem-
 perandi Othoni habuerunt : quando ne mortuo quidem
 desiderium eius apud ipsos desit, sed permanfit, inque ex-
 35 tremum aduersus Vitellium odium vertit. Sed reliqua su-
 um locum habent, quo referantur. Reliquis terræ madatis
 sepulcrum impositum est neque mole neque inscriptione
 inuidiosum. Vidi ipse cum Brixelli essem, & monumentum
 modicum, & inscriptionem hanc, M. O T H O N I S. Obijt an-
 no ætatis x x x v i l, cum imperasset menses tres. Neque de-
 teriores,

*Interitus
Othonis.*

Funus.

teriores, neque pauciores mortis suæ laudatores, quam vitæ vituperatores reliquit. vita enim Neroni nihil præstitit, morte longe honestius obita. Milites vero Pollione præfectorum altero statim eos iurare nomen Vitellij iubente, grauitè fremuerunt, auditoque nonnullos senatorij ordinis adhuc adesse, dimissis reliquis Virginio Rufo molestiam exhibuerunt, armati ad domum eius venientes, euocantesque, vt vel imperium in ipsos susciperet, vel legatus causam eorum ageret. At Virginius imperium, quod in victores renuisset, in victos accipere, dementis esse iudicabar: periculosum vero, ad Germanos legati munere fungi, quibus vim multis in rebus fecisse videbatur. itaq; per aliud ostium nemine obseruante se subduxit. Eo cognito milites sacramento se obligari Vitellio passi sunt, & impetrata venia Cæcinæ se coniunxerunt.

IN OTHONEM AB INTERPRETE annotata.

i In Sinuessanum agrum.]

Taciti loc.
c. 116.

E Mendandus ex hoc loco est Cornelij Taciti locus, eadem de re loquentis, vbi Sueffana aquæ leguntur, pro Sinuessanis. Sinuessæ haud procul ostio Liris amnis, ad oram Campaniæ vrbs est, cuius aquæ nobilitatæ sunt. Plinius libro tertio capite quinto, & libro trigesimo primo capite secundo. Nichil de Sueffæ tale. Caterum ego Taciti verbis aliquoties hic sum vsus: vt ostenderem, videri mihi ista ex illo translata.

PLVTARCHI ANNIBAL,

Donato Acciaiole autore potius
quam interprete.



S I primi Punici belli, quod Carthaginenses cum populo Rom. gessere, memoria reperatur, multi imperatores nobis occurrent, qui ex rebus gestis gloriam consecuti, celebrem famam suis posteris reliquerunt. Sed ex Pœnorum ducibus nemo est, quæ omnes Græci Latinique scriptores magis extollant, quam Hamilca-